



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

LXVI. Viso S. Ignatij animo, & corpore sanatur morti proximus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

sibi socias adiunxit : quibus flexo genu , puellæ salutem efflictim rogantibus , visa est inflatio paulatim discuti, mutari color , virtus , & habitus membrorum reparari , dum tandem haud multo post , pristinam integrè recuperavit sanitatem.

Ineunte hoc sæculo in morbum incidit Vicarius Auenionensis , vir quidem à puero Deiparæ Virgini , & S. Ignatio mirificè addictus , sed qui occalluerat vinendo solutius , aduersus assiduos instinctus Dei acriter admonentis : cum ergo medici iam arti diffiderent , ille maiori fiducia , multisque lacrymis pro vita Virgini supplicare , commemorare illi sua erga ipsam obsequia , mores in posterum emendatos , sanctissimè spondere. At hic Virgo , importunam magis invocantis audaciam auersata quam exorabilis , oranti adstitit , vultuosa , & exprobrans obstinati duritiem pectoris , delusas eatenus diuinæ clementiæ motiones , inanitatem promissorum ; quæ tunc ab eo , mortis exprimeret timor , non desiderium vitæ melioris , quæ autem memorabat officia , ex impuro , & contaminato animo profecta , nec sibi placuisse , nec ab se admittæ , nec mercede , aut gratiis digna. Quibus dictis vehementer confusum , & mortis securum , ad parandam illam serio intentum reliquit. Sacerdotem vocat è Societate , vitam à principio orditur retexere , iamque promouerat cum accessione insolenti , deliquio cordis , & mentis conturbatione inhibetur. Illi dum solus cum febrili luctatur , adest denuo Virgo Parens , vultu quo prius iratæ similis , sed S. Ignatio flexis ad pedes ipsius genibus , prostrato ; Filio vero tam prope adstante , vt lateris vulnus , sua ipsa manu contegeret. Quod ægrum acerbius quam quiduis antea perculit , interpretatum fontem misericordiæ sibi à Virgine obitruui , etsi alioqui S. Ignatium pro se audiret ardentè deprecantem. Erant autem illius eiusmodi preces , & fideiubentis hæc intercessio , fore illum à primo diuersum penitus , vita sanctiorem , exemplo spectabiliorè , quibus veluti expugnata iam se virgo ægroto præbuit mitiorem , & interrogauit , si condonaretur ei vita , quo pacto esset ea vsurus ? Ille flens ac tremens ô Domina ! quidquid meo nomine fideiussit , sponsor meus Sanctus , fidelissimè præstabo : ad hæc virgo immersam Filij lateri sacram manum , intinctam viuido sanguine eduxit , quo cum ægrotum inunxisset , visi torius theatrum euauit. Ipse non modo extra periculum , sed omnino sanus ex eo remansit : inde vitam exorsus est qualem sponderat viuere ac fideiussori patrono suo gratus , totam rei huius historiam Rectori Collegij scripto dedit , cumque inter beatos , nondum Ecclesia Ignatium adlegisset , petitam ipsius tabulam populo colendam exposuit.

Nec vero tunc primum Ignatius clientum suorum periculis impenderat gratiam , qua summa pollebat apud cæli reginam ; fecit hoc etiam dum in viuis esset , eo euentu , quem is ipse cui contigerat legitimo suo testimonio describit. Erat is Petrus Ferrus Parauinus , hic anno elapsi sæculi sexto , & quadragesimo , cum Romam venisset , consuetudine Ignatij profecit ad ineundam vitæ rationem quæ magis decreret Christianum. Ali-

LXVI.

*Viso S. Ignatij  
animo , &  
corpore sana-  
tur morbi  
proximus.*

LXVII.

*Ignatius adhuc  
vicens ,  
morituro vitam à B. V.  
exorat.*